



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De
Numero Prædestinatorum, Ac Reproborum**

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Prælvsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272



IULII CÆSARIS RECUPITI
NEAPOLITANI
SOCIETATIS IESU THEOLOGI
De signis Prædestinationis , & numero
Prædestinorum,

P R A E L V S I O.

R A C T A T I O N E M de signis Prædestinationis,
ac prædestinorum numero è Theologico tomo
subductam hac opella conclusi : sive , ut aptius
servirem materiæ : sive ut tuæ , lector , utilitati
consulerem. Erat illa de prædestinatione materies
adeo obscuris obvoluta quæstionum ambagibus ,
ut nonnisi abstrusos Dialecticæ syllogismos , at-
que argumenta omnino à sensibus semotissima ad scholasticæ limæ
normam expeteret. Contra verò hæc , quæ de signis , & numero præ-
destinorum adiicimus , ita se ad humanæ vitæ praxim demittunt ,
ut in actionibus pœnè singulis explorent , quod in iis consequendæ
salutis , ac gloriæ ; quod lateat habendæ pœnæ , ac damnationis
judicium. Multa hic ab exemplis petenda : multa Patrum testimoniæ
identidem interserenda: ita ut non tam opus meo sermone con-
fessum , quæm Sanctorum vocibus contextum , veluti tessellato quo-
dam differendi genere videatur. Multa denique congerenda non ma-
gis ad instruenda ingenia , quæm ad inflammunda studia ; non tana
exedris , quæm suggestibus ; non plus quæstionibus , quæm concio-
nibus accommodata. Theologicos hos veluti flosculos , inter subtilio-
rum , ut ita dicam , speculationum aculeos , veluti in senticata conji-
cere , mihi pœnè religioni ducebam. Neque tamen hæc oratoriè ,
tanquam planè concionabundus , mihi tractanda proposui : sed ita
moralem agam , ut me scholasticum non obliviscar : sicque veritas
non ad orationis , sed ad rationis , ac proinde ad scholasticæ nor-

A.

Præludio.

2
mæ trutinam expendatur. Cæterum id quoque lectoris utilitas ex-
poscebat, ut breviori tomo tam fructuosa materies clauderetur :
quod facilius & haberi posset, & perlegi. Enimverò cum de Deo, de
Angelis, deque aliis rebus Theologicis disputamus, frustrà certè,
opera, & labor omnis impenditur ; nisi hæc omnia ad unicum no-
stræ prædestinationis negotium, veluti sagittæ ad scopum colli-
neant. Exquirant sanè alij ab iis, qui se astrologos vendirant, im-
pudentium divinationes eventuum, ac fortunæ in posterum sibi,
vel adversantis, vel obsecundantis auspicia. Perant ab astris futuræ
dignitatis casura fastigia : totique sint in præfigiis, quid dextri, si-
nistrique consequens allatura sit ætas : quod, qualecumque fuerit,
brevissimæ vitæ diuturnitatem non transilit. Quantò consultiùs oc-
cuparentur in iis prænunciationibus explorandis, quibus possent
tempestivè prænoscere, quam tota æternitate habituri sint aleam
numquam invertendæ fortunæ. Ita nostræ prospicientes saluti ea si-
gna cavebimus, quæ damnationem minantur, ac baratrum ; ea
fovebimus, quæ faustissima sunt futuræ felicitatis auguria. Demum
ea, quæ de exiguo prædestinatorum numero, juxta Scripturarum
oracula, ac Sanctorum Patrum effata, adjiciemus, opportuno nos
terrore incitabunt, ut inter eos adnumerari conemur, quorum nomi-
na scripta sunt in libro vita.

LUCA IO.

